



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

§ 2. Sententia Ottonis Imperatoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

nostrorum Mundiburdio &c. Vide ipsum Diploma Numero quarto.

Ludouicus Pius Imperator eadem omnia, quæ Pater eius Carolus, concessit, constituit, decreuit, imperauit, vti manifestum est ex eius Diplomate quod habes sub Num. 5. vbi hæc leges, *Igitur istud præceptum ad vilitatem Monachorum fieri iussimus, per quod Imperamus, ne quislibet de iudiciaria potestate in Curtes, vel in Villas ipsius Monasterij ad causas audiendum, nec fideiussores tollendum neque ad manendum, aut homines ipsius Ecclesie distinguendum ingredi præsumat, sed sicut ipse locus sub antecessorum Regum hæctenus fuit conseruatus, ita deinceps per nostram auctoritatem permaneat inconuulsus.*

Lotharium Austrasiæ Regem quoque eandem Iurisdictionem libertatem, & immediatum sub Imperatoribus Statum agnouisse & decreuisse, ex ipsius Diplomate euincitur, quod sub Num. 6. habes, vbi Rex Lotharij Imperatoris Genitoris sui, qui idem præstitit & anteriorem Regum Austrasiæ & Imperatorum vestigijs insistens, *Abbatiam S. Maximini, inquit, more Genitoris nostri cæterorumq. Antecessorum nostrorum nostris etiam priuilegijs, corroborare decreuimus, & nulli alij subiectam vel obnoxiam, excepto nostre Regalitati, sicut sub Antecessoribus nostris esse volumus. Nulli etiam Comitatu bannum aut fredas exoluat, nec aliquis in locis eiusdem sine nostro iussu placitum habere præsumat.* Quibus verbis Imperatores & Reges omnem Iurisdictionem Principibus, Comitibus, & Dynastis Imperatore inferioribus in S. Maximini Ditiones denegant, eiusque omne exercitium tollunt, nisi id ex ipsorum Imperatorum & Regum Iussu, mandato vel delegatione concedatur. Placitum enim conuentus iudiciales, bannum & fredas vero euocationes, multas & pœnas antiquorum Scriptorum vsu significare constat.

Atque ex allegatis Decretis & Diplomatis euincitur Abbatiam S. Maximini à Constantini M. tempore, adeoque à prima sua origine vsque ad Dagobertum Austrasiæ Regem, & deinde tam sub illo quàm consequentibus Imperatoribus & Austrasiæ Regibus immediatè sub Imperio vel Regno supremo Statum liberum habuisse.

S. 2. Sententia Ottonis Imperatoris.

SExcentis penè annis iura S. Maximini inconcussa steterant cum Rothbertus Archiepiscopus Treuirensis, nescio quibus iudicijs vel malorum consilijs aut suggestionibus in eum errorem inductus est, vt Abbatiam præfatam olim ad Ecclesiam suam pertinuisse ei que subtractam fuisse crederet. Igitur apud Ottonem Magnum Imperatorem actionem instituit, ac Monasterium sibi adiudicari petijt. Auditus est Abbas S. Maximini pro tempore Willerus, causaque examinata & probè cognita, prolatisque in Imperij Comitibus siue Procerum conuentu coram Cæsare & iisdem Proceribus, Tabulis & Decretis Regum præcedentium præsentate ipso Rothberto Actore lata est sententia ab Imperatore, & declaratum ac decretum, præfatum Cœnobium ab Antiquissimis temporibus in vsu Monachorum constructum, nulli vnquam Ecclesie vel Sedi subiectum fuisse, sed semper sub Regia Potestate mansisse, ac proinde sub ipsius Ottonis ac Successorum Germaniæ Regum potestate perpetuò permanfurum.

Ipsam quale hodieq. habemus integrum Originale: hic lege.

In nomine Sanctæ & indiuidue Trinitatis. Otto diuina annuente Clementia Rex. Notum esse volumus omnium nostrorum præsentium scilicet & futurorum industrie, quod Nos piè & salubriter de nostri Statu Regni tractando sancta loca ab Antecessoribus

cessoribus nostris, videlicet Regibus, vel alijs fidelibus in honore DEI constructa, nostris etiam priuilegijs Regali more roborare decreuimus. Sed venerabilis Treuerica Sedis Archiepiscopus Rothbertus aliquorum, quos rei veritas latebat, adhortatus instinctu, nostram (super loco vel Abbatia sancti Confessoris Christi Maximini) adijt Regalitatē, hanc iniuste sibi, vel Ecclesie suae ablatam fuisse conquestus. Nos tamen lectis in presentia nostra eiusdemq. Archiepiscopi Rothberti, vel aliorum fidelium nostrorum super eodem loco precedentium Regum priuilegijs & decretis, eum ab antiquissimis temporibus ad opus Monachorum constructum nulli alij Ecclesie vel Sedi appendicem aut subiectum, sed semper sub Regia Tutitionis Clypeo & potestate permansisse certissima ratione reperimus. Idcirco interuentu & rogatu Germani nostri Archiepiscopi Brunonis, & Conradi Ducis, ne, vel eadem priuilegia talibus predicti Archiepiscopi Rothberti reclamationibus aut querelis infirmarentur: vel Abbas aut Monachi ibidem DEO seruientes tali ulterius infestatione comprimerentur, idem Cœnobium cum Abbatia sub nostra perpetualiter & omnium succedentium Regum defensione & potestate permansurum volumus. Et prenotati Episcopi vel Successorum suorum Episcoporum occasionis iniuste super eodem loco querelas præcepti nostri auctoritate excludimus; insuper Venerabilis eiusdem loci Abbas VVikerus in presentia prenotati Treuerica Sedis Archiepiscopi est conquestus, in Treuerica valle multas ab eo suisque, suis & sibi incommoditates ingeri: maximèq. in piscatione & venna quadam in Ruera fluuio constructa, fideli nostro Duce, Conrado, affirmante queremoniam Abbatis iustam esse. Igitur presenti Archiepiscopo Rothberto interdiximus, deincepsq. volumus atque auctoritate Regali iubemus ne, vel ipse Archiepiscopus Rothbertus vel Successores eius Episcopi aliquid incommoditatis, vel in piscatione eiusdem fluuij vel in Venna in eo constructa, vel in aliquo negotio predicto Abbati, cœnobitisq. post futuris ingerant, & ut presens nostra Regalitati præceptum in post futura secula fixum & stabile permaneat, manu propria subius firmauimus & annuli nostri Impressionē muniti iussimus.



Signum Domini Ottonis Inuictissimi Regis

Rudolphus Cancellarius ad vicem Brunonis Archiepiscopi recognoui. Data iij. Kl. Septembr. Anno Incarnationis Domini DCCCC. LIII. Indictione VII Anno vero Regni Domini Ottonis Regis XVIII. Actum Moguntie in DEI nomine feliciter, Amen.

Ita ante septingentos prope annos ab Imperatore Maximo, assidente S. Brunone Archiepiscopo Colonienſi & Imperij Archicancellario, Conrado Duce & Regni Lothariensis à plurimis annis Administratore, atque adeo rerum peritissimo, alijsque Imperij Statibus & Proceribus Iudicatum ac decifum fuit. Neque huic sententiæ ita maturè auditis partibus & cum omnibus Iuris solemnitatibus latæ, vnquam contradicium aut contradici potuit. Neque etiam Scriptor anonymus in libello suo vbi omnia oppugnat, contra hanc sententiam quidquam obijcere aut verbum vllum hircere potuit. Maluit nodum hunc insolubilem profundissimo silentio inuolucere. Neque verò subreptio-

nis, corruptionis aut fauoris cuiusquam suspicione laborare hæc sententia potuit cum Otto Imperator Optimus, Bruno Sanctissimus fuerit, & ipse Rothbertus, Ottonis & Brunonis auunculus, Conradi verò, qui eius neprem duxerat affinis; ac proindè excelsò quodam Iudicio Brunonis & Conradi nomina potius quam aliorum Procerum prædictæ sententiæ sunt inserta, vt posteritati constaret Rothbertum etiam consanguineorum & affinium suorum Iudicio fuisse condemnatum.

Sententia igitur prædicti Iudicis & Tribunalis supremi supremam vim obtinet, irrefragabilis est omnem litem controuersiamque perimit, eaque vna hæcenus suffecit, vt Pontifices Maximi, Imperatores, Reges, ac summa quæq; Tribunalia pro S. Maximini Cœnobio in hac causa starent, ac secundum Iustitiam rei iudicatæ decernerent. Neque ad causæ huius resolutionem alijs firmamentis opus. Ex abundanti nihilominus, quis aliorum Pontificum & Imperatorum sensus hac de re fuerit, adijciemus:

*S. 3. Pontificum Summorum ac Imperatorum de eadem re
Decreta ac Rescripta.*

Sententiam Ottonis præfatam iustissimam fuisse & Rothberti Archiepiscopi petitionem iniustam, Agapitus II. Pontifex, qui id temporis viuebat luculentè in Bulla ad Willerum Abbatem missa, Apostolico oraculo declarauit, quam habes Num. 16. vbi attestatur Pontifex, per legatos Abbatis Willeri Aolphum & Guntharium ipsius Sanctitati coram Clero, seu in Cardinalium Consistorio acta apud Ottonem omnia relata & recognitis irrefragabilibus antiquorum Imperatorum & Regum documentis, Iudicium Ottonis omnium Decreto laudatum, & Statutum, vt Monasterium sub Regia tantum potestate permaneat neque vlli alteri personæ vnquam subiaceat.

Idem sensit Ioannes XIII. qui & Ottonis M. facta laudauit, & idem Monasterium sub Imperatorum potestate immediatè permanere suprema auctoritate præcepit, Vide Bullam eius Num. 14.

Eandem sententiam ac decreta, priuilegiaque Ottonis M. ac præcedentium Imperatorum laudârunt & approbarunt Otto II. binis Diplomatis sub Num. 12. & Num. 16. quorum prius, viuentè adhuc Imperatore parente edidit, & Otto III. vno Francofurti concessò sub Num. 18. quibus peculiariter illud reiterant & inculcânt, vt Religioso S. Maximini Conuentui libera semper sit Electio, nullius potestati, præterquam Imperatorum subsit, nullus in Monasterij ditione placitum habere, id est, Ius dicere præsumat præter Abbatem eiusque Commissos.

Similiter Iura omnia prædicta ac immediatam sub Imperatoribus & Imperio subiectionem Stabiliuerunt Imperatores consequentes, S. Henricus, Conradus Salicus, Henricus III. Henricus IV. Henricus V. quorum Diplomata lege sub NN. 19. 20. 21. 22. 26. 31. In quibus obseruabis allegatos Imperatores præcipere statuere, decernere, vt dicta Abbatia nulli Ecclesiæ, Sedi vel personæ quocunque pacto vnquam subiiciatur siue vt loquuntur famula aut appendix subiaceat, sed sub Imperatorum duntaxat Iure, mundiburdio & tuitio-
ne permaneat.

Huc pertinent Pontificum Sanctiones & decreta, tum Leonis IX. anno millesimo quinquagesimo primo sub Num. 23. tum Innocentij II. sub Nu. 33.

quibus